



Kern 234. (A-24)







DE
SERO LACTIS RECTE
PRAEPARANDO
DISSERIT

ET
VIRO PRAENOBILISSIMO DOCTISSIMO
IOHANNI LEVI BENIAMIN
K E R G E L

WALLHUSA - THVRINGO

MEDICINAE BACCALAVREO DIGNISSIMO
SVMMOS IN ARTE MEDICA HONORES

N O M I N E
COLLEGII EXAMINATORII

SVB MODERAMINE

VIRI EXCELLENTISSIMI
D. CAROLI CHRISTIANI KRAVSII

ANAT. ET CHIR. P. P. E. RELIQ.

GRATVLATVR

CHRISTIANVS FRIDERICVS SCHVBERT

LICHTENBERGA - MISN.

MEDICINAE BACCALAVREVS

LIPSIÆ FRID. CAL. MARTII A. C. MDCCLXXVII.

EX OFFICINA LANGENHEMIA.



SEE OF AGGTS PROTE
FRANKFURT
UNIVERSITY

JOHANN LUDWIG
K E R C H

MEDICAL FACULTY OF
STUDIOS IN THE
SOLUBLE

D. CAROL
MAY 18 18 18

CHRISTIAN
MEDICAL
UNIVERSITY



VI

In curandis morbis ad victum aegroti semper respiciendum esse, constat inter omnes. Cum enim alimenta particulis suis quam maxime inter se differant; consequens est, ut in dandis aegrotis alimentis opus sit delectu, eaque offerenda sint aegrotis, quae vel per se morbo tollendo accommodata sint, vel certe medicamentorum virtutes atque effectus non frangant atque impediant.

Neminem vero fugit, lac bonum, istud et recens naturae optimum et vnicum alimentum, iam Hippocratis tempore ad alendos aegrotos adhibitum fuisse, et nostris etiam magno cum fructu adhiberi. Non omnes vero aegroti lac ipsum ferunt, quoniam eius partes caseosae facile secedunt, et difficulter digeruntur; quare etiam lac illud, quod pauciores aleret partes caseosas, quale est humanum et asinum, corporibus debilibus accommodatius est, quam aliud quodpiam. Excogitarunt igitur varios modos, quibus possent partes aquosae a caeteris separari, et ad usum medicum trahi. Id autem tanto cum fructu fecerunt, ut operae pretii sit, pro viribus de his differere. Cum vero ex variis partibus lac constet, placet, antea eas proponere, non quod sint non exaudita eethegis, sed quoniam scio, ex amicis mihi commilitonibus esse, quibus res, quae in agro sunt, parum cognitae sunt atque perspectae.



Lac autem, vti chemici loquuntur, constat ex particulis oleosis, salinis, terreis, et aquosis. Quae quamvis inter se mixtae sint, non tamen adeo tenaciter cohaerent, quin facile, imo sua sponte segregentur. Ex ubere enim eductum lac, si reponitur, cremorem, qui partes pingues in se continet, sursum eicit. Hic ope cochlearis a superficie detractus, separatim asservatur; aliquot vero horis praeterlapsis novus cremor iterum iterumque efflorescit, indem separandus; hoc fit, donec signa praesentiae suae dat. Cremor autem sat magna copia collectus, si motu mechanico vario eo quidem quassatur, partes oleosae tandem coeunt. Earum autem aliae manu facile colliguntur, aliae ope cribri densi a fluido, in quo natant, secernuntur. Nomen butyri est. Hoc autem si aqua eluitur iterum iterumque, per diu, imo per annum integrum sine metu corruptionis potest asservari, alioquin post paucos dies incipit saporem et odorem gratum amittere. An vero diligentia debita adhibita fuerit, ostendit aqua loturae, si tandem nihil turbidi refert, nihil lactei simile. Elotum ita butyrum sale conditur, fluidum residuum vero, ex quo separatum est, audit lac ebutyratum (*Buttermilch*), quod iis maxime salutare est, qui bile abundant, et sicca habent corpora. Pro usu domestico vero vasi immittitur, et loco calido repenitur, tunc incipit acescere, et pars caseosa fundum petit. Iam tota massa per saccum linteum filtratur, et aliqua vi premitur, ut pars aquosa separetur et caseosa sola remaneat. Nostrates caseum istum recentem dicunt (*Quarek*) cuius usus varius est. Plerumque casei parantur oblongi, extremitatibus duabus acuminatis praediti (*Quarckkäse*). Hac
 massa



massa vero etiam ventriculus vituli mactati repletur et siccatur, sub nomine (*Laab*) de quo infra plura dicentur. Lac istud vero, quod cremorem praebuit interea secundo tertioque die, pro majori minorique calore aëris atmospherici, acescit, atque simili modo eius mixtio turbatur, laxius tamen coeunt partes caseosae multis ferofis remixtae, et massam pulvis tenuis similem referunt. Hoc quidem magma dicitur (*Schlabbmilk*) a vocabulo temere, vti gelatinis in more est. Caveas lac ebutyratum emturus, ne eo magmate adulterinum accipias. Difficilius enim id digeritur, adeo ut non raro ruriculae eo lacte non sine incommodo vtantur, quamuis digestionem valida gaudeant. Causa est in nimia aciditate quaerenda, quam quidem lac ebutyratum etiam induere potest, si nempe cremor paulo diutius asseruatum fuerit. Sed id sane vsui medico parum aptum est. Lac ebutyratum enim bonae notae acidum vix sapit, adulteratum vero illud austeriori sapore displicet. Simili modo autem lac istud vasi immittitur, quod quoniam semel imbutum est aciditate, acescentiam lactis auget, et eo citius secessum caseosarum et aquosarum partium promouet, interdum etiam coagulo ex ventriculo vituli adjecto, acceleratur haec operatio. Posthaec similia fiunt illis, quae de lacte ebutyrato dixi. Serum vero, cum ab hoc lacte, tum a lacte ebutyrato secedens, dicitur serum lactis acidum (*Sauermolken*) quia aceti instar acet.

Si vero lacti, priusquam acescit, paululum calefacto, coagulum iam dictum additur, secedit etiam pars caseosa,



caseosa, et fundum petit, quae tamen tenacior est, quam ex iam commemoratis generibus acidis, quoniam in his incipiente fermentatione, tenacitas fracta est. Parantur ex eo etiam casei, in vasis fictilibus figurae cujuslibet. Dicuntur (*Napf- oder Reibkäse*.) durefcunt aetate, ut cultro vix possint scindi. Lac vero, cremore non orbatum si ita tractatur, dat caseum pinguem, qui aetate rancorem contrahit, et ex eo nitorem singularem et saporem penetrabilem spargit et linguae imprimit; serum vero gratum saporem et dulcedinem retinet. Quoniam autem ad varios usus medici adhibuerunt, vario modo etiam praeparationem ejus instituerunt, ut diuidi posset in serum lactis simplex et medicatum. FR. HOFFMANNVS, qui metueret ab acido vel ex mora lactis orto, vel ei adiecto, excogitauit modum, serum lactis artificiosum quod dixit, parandi. Iubet lac recens multum exhalationis ope penitus resiccari, et postea residuo flauescenti grumoso pulueri, tantum aquae purissimae, quantum in forma vaporis in auras disiectum, affundi, et aliquantum coqui, ut dulcissima salina et ex pingui mucida tenuior portio ab aqua soluatur, et liquamen denique colatu a crassiori, terrestri substantia liberatum vsui seruetur. Non dissentio serum istud dotibus praecellere, quas de illo praedicat; nempe coloris flavi albescentis, grati dulcisque esse saporis, ac simul pingui et oleosa substantia liquida perfusum, quod sine omni nausea et calide et frigide assumi possit, et diutius quoque salua textura et sapore durare. Sed praeparatio ejus nimis artificiosa et sumtuosa est, totum enim ferendum ad evaporationem



tionem aliquot mensurarum, sub taediosa et continua agitatione consumferis; alias ciuissime empyreuma concipit, quod interdum vel omni adhibita diligentia vix arceri potest. Quamobrem non nisi a diuoribus possiet in usum adhiberi. Magis mihi arridet modus serum praeparandi, quem millies oculis vidi, loco natus et educatus eo, vbi aestiuo tempore pro potu ordinario fere in pagis adhibetur. Sumunt nempe lac dulce, et quidem defloratum, florem enim alii usui dicant; id paululum calefaciunt, at quam maxime euitant ebullitionem, addunt coagulum ex ventriculo vituli, vt partes caseosae secedant; deinde per horam dimidiam vel integram seponunt; sic caseosae partes fundum petunt, in placentam coeunt, sine magno negotio ope cribri excussorii separantur, et materiem dant caseo parando. Serum vero, tunc demum coquunt, inde paucae adhuc residuae partes caseosae coeunt, fundum petunt, quae vel decantatione separantur, vel a sanis sine noxa simul deglutiuntur. Tale serum lacis prorsus cum Hoffmanniano conuenit, et praeparatio minus molesta ac sumtuosa est. Saporem habet gratissimum, dulcem, colorem subviridem, et fere perlucidum est. Non coctum leuiter aluum ducit, sic vt fere cum manna conueniat, et inculae ruris pro eccoproptico data occasione utantur; quae vis vero coctione perit. Obiicies fortasse, coagulo adiecto lac corrumpi, et aciditate infici; sed sapor nihil eius docet, dummodo lac dulce adhibitum fuerit. Mirandum sane est, serum alio acido quouis paratum, semper sapere subacidum non aequae id, de quo diximus. An liquori gustrico, quae
basis



basis est coaguli illius, specifici quid ad lac coagulandum, ab acido non pendens, inest? Quotidie saltem cernimus, infantes etiam sanos, statim post suctionem euomere lac grumofum, cum tamen nullum accidi genus in lacte humano producit coagulum, testante VOLTELEN *). Simul vidi coagulum istud paulo diutius asseruatum, magis sapere sal ammoniacale, et caseum vernustum olere, et tamen lac eo coagulari. Porro si rite paratum est, eius parum sufficit, ad mensuram unam lactis, circiter drachma vna. Si vel in hoc sero aliquid acidi suspiceris, facilis correctio est per absorbentia.

Sunt aliae quaedam observationes necessariae. Omnes, qui de sero commentati sunt, iubent, lac ante ebullire, quam acidum adicias, quod tamen plane non admittendum videretur; per ebullitionem enim caseosae partes turbantur, ut plane non cohaereant, multo minus fundum petant, et in placentam coeant, sed floccis similes in aqua natent, et difficulter separantur; per densum enim filtrum nimis lente filtratio procedit, quoniam hi flocci porosi atque adeo aquosis partibus viam praecludunt, per colatorium vero rarius, simul transeunt, et non recte separantur. Rustici huius rei peritissimi dicunt, si praeter voluntatem facta est ebullitio (*Die Matten* sic appellant partes caseosas *sind verbrand*) et diligentiam adhibent, ne fiat ebullitio; casei enim non bene

*) vid. eius *Dissertatio Traiecti ad Rhenum* pro gradu Doctoris propoſit. n. 7.



bene exinde paruntur. Sed magis conuenit separatum iam serum coquere, et post aliquam quietem decantare.

Haec de feri lactis simplici praeparatione, nunc de composita. Ab omni acido lac ruminantium cogitur, ergo acetum, cremor tartari, succus citri, acetosellae, berberum, ribesiorum, aequo jure adhibentur, et semper quidem cum fructu, si vel bili, vel putredini, vel aestui; praeternaturali et calori hectico occurrendum est. Iucundissimum saporem et aegrotis gratissimum sero conciliat Rubi Idaei succus, Syrupus, acetum. Id igitur magna cum auiditate in aestu febrili ab aegrotis hauritur. Si vero edulcoratur magnesia nitri, uti plerumque volunt, quod deinde serum lactis dulce vocant, impregnatur sale medio, quod prodesse potest interdum quidem, plerumque vero debilibus aluum mouet; ergo, si animus esset nutriendi, a scopo aberrares. Huius rei ipse testis sum, qui omnium artis medicae principiorum tum expers, et ex morbo debilitatum corpus leniter nutriturus, serum lactis cum medicamentis compositum praestare quondam credidi ei, quod coagulo paratur. Quotidie vero tres vel quatuor motae deiectiones alui corpori nullum robur addebant, et mihi abstinendum erat. At sero per coagulum facto, et aluus in ordinem redigebatur, et vires crescebant. Fit vero interdum, ut serum quoduis deiectiones alui citet. Quo in phthisicis et tabe facto, protinus abstinendum; alias enim breui mors sequitur. LOESECKE *) propterea praefert serum lactis coagulo paratum, quod non

*) *Mater. Med.* p. 521. Berolin. 1763.



non tam facile tussim excitet, quam caetera. Est, vbi proficuum fuerit per epicrasin corpus purgare. Tum suadet HOFFMANNVS cum sero miscere ecoprotica, Mannam, Pulpam Taniarind. Syrup. rosar. solut. Syrup. de cichor. cum rheo, nec non salia media, et sic diarrhoeam artificialem concitare. In dysenteria magna cum laude extollit, si simul addantur Extr. rhabarb. grana aliquot. Prisco tempore apud Medicos drastica purgantia quam maxime in vsu fuerunt; eorum autem vim plerumque cicurare soliti sunt lacte asinino vel sero lactis, de quibus legatur CELSVS *). Alius usus est lympham acrem corrigendi in scabie praecipue sicca, in scorbuto, malo venereo similibusque. Prodest tunc si ex eo radices aperientes coquuntur. Et Boerhauium per integrum annum in causa rheumatica magno cum leuamine ipsam hausisse, notum est. Non vero solum acida, sed ea etiam, quae adstringens in sinu fouent, lac coagulant, qualia sunt mala Cydonia, Granata, Mespili, Myrtilli, Acaciae succus, Omphacion, Alumen &c. quae tamen non, nisi vbi inter indicantia laxitas est, recte adhibentur. Etiam vino acidulo v. c. Rhenano serum paratur, et iis, qui a morbo graui antegresso debiles sunt, scopo roborante et nutriente propinatur. Britannos vino dulci vti legimus. ROSENSTEIN in libro de morbis infantum narrat in succia in vsus domesticos coqui lac cum cereuisia, fortasse acidula, et separatione facta, coagulum indetatum cum sero simul condiri saccharo et cinnamomo,

et

*) Lib. 2. cap. 12.



et mensæ apponi, aegrotis vero serum purum propi-
nari; ipseque in variis morbis, diarrhoea, dysenteria,
variolis, morbillis et febribus aliis eius usum suadet.
Sed hæc hæctenus.


Nunc vero TIBI, AMICE SVAVISSIME honores ex
merito collatos cum societatis nostræ tum meo ipsius
nomine ex animo gratulor, et fausta ac fortunata quæ-
que a summo Numine precor, certo persuasus, TE,
quam hæctenus coluimus amicitiam mutuam, nobis
integram perpetuo esse conseruaturum, neque de
nostro studio TIBI vtilitatibusque TVIS, qua data oc-
cassione, inseruendi dubitaturum unquam. Vale.
Scr. in Acad. Lips. prid. Cal. Martii A. p. C. N.
MDCCLXXVII.

M. T. T. Weichardt. M. B.	I. C. Hoffmann. M. C.
C. A. Kasteu. M. C.	G. A. Freytag. M. C.
C. M. Koch. M. B.	P. C. F. Werner. M. B.
F. E. Schulze. M. B.	I. H. Mitzky. M. C.
C. F. Schubert. M. B.	I. H. Freytag. M. C.
C. T. Gerischer. M. B.	P. Demetrius. M. C.
I. G. Tenner. M. C.	G. E. Dippolt. M. C.
	G. W. Liebe. M. B.

VD 18

P. CA





DE
SERO LACTIS RECTE
PRAEPARANDO
DISSERIT

ET
VIRO PRAENOBILISSIMO DOCTISSIMO
IOHANNI LEWIS BENJAMIN
K E I

WALLH
MEDICINAE BACC
SVM MOS IN ART
N O
COLLEGII
SVB M
VIRI EXCE
D. CAROLI C

ANAT. ET C
GR
CHRISTIANVS FI
LICHT
MEDICINAE

LIPSIÆ FRID. CAL.

EX OFFICIN

